

*Lettera di mutuo a Pileto,
cappellano papale fino a 20.000
lire torinesi, e promessa di esentare
la Chiesa da qualsiasi danno
relativo alla loro estinzione.*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Lettera di mutuo a Pileto,
cappellano papale fino a 20.000
lire tornesi, e promessa di esentare
la Chiesa da qualsiasi danno
relativo alla loro estinzione.*

1268-02-29

gianna relativo alla loro estinzione
In nomine Domini amen. Sanctissimus pater et dominus dom. Clemens, divina providentia Summus Pontifex, volens Nobis Karolo... Regi Sicilie etc., ad prosecutionem negotii Regni Sicilie ac aliorum negotiorum nostrorum, quibus potest remediis subvenire, vobis mag. Helye Pileti, capellano suo, propter urgentes necessitates, recipiendi... mutuuum usque ad summam viginti milium librarum Turonensium nomine Romane Ecclesie... plenam potestatem per suas concessit licteras subtus annexitenoris: Clemens Episcopus etc. dil. filio mag. Helye Pileti, Canonico Belvacensi, capellano nostro salutem etc. De prudentia tua plenius confidentes, recipiendi mutuuum usque ad summam viginti milium librarum Turonensium nomine Romane Ecclesie... a mercatoribus etc., ac propter hoc cameram nostram et bona eiusdem Ecclesie... obligandi, nec non promictendi etc. quodque ratum habebimus etc. discretionis tue..... concedimus facultatem, statuentes quoque pecuniam ipsam fore conversam in utilitatem nostram et ipsius Ecclesie Romane etc. Datum Viterbii, XVII kal. octobris, Pont. n. a. III.-Licet autem in eisdem licteris quod predictum mutuuum ad opus nostrum contrahatur mentio nulla fiat, Nos tamen, recognoscentes... mutuuum pro nostris necessitatibus... contrahi, pro mictimus... Ecclesiam Romanam ab omnibus obligationibus... liberare infra terminos... Super dampnis autem, gravaminibus, expensis et interesse... stabimus... assertioni nunciorum Summi Pontificis... Pro ipsis quoque omnibus et singulis plenarie adimplendis... vobis nomine memorati Summi Pontificis et Ecclesie Romane... obligamus Regnum Sicilie ac omnes terras et comitatus quos tenemus... et insuper quidquid de

decima ecclesiasticorum reddituum Nobis tam in Regno Francie quam in quibusdam adiacentibus partibus in subsidium predicti negotii Regni Sicilie et ab eadem Ecclesia Romana concessa, solvendum remanet vel habeatur penes ven. patrem S. tituli sancte Cecilie Presb. Cardinalem, Apostolice Sedis Legatum etc. Promictimus etiam vobis... pro singulis contractibus... dare singulares licteras similes istis... deliberando eundem Summum Pontificem, cameram suam ac Ecclesiam Romanam ab eisdem... obligationibus etc. Et ad maiorem cautelam omnia et singula supradicta, iuramento per Iohannem de Monolio, Capellanum nostrum, Canonicum Cenomanensem, in animam nostram corporaliter prestito, in nostra presentia et de nostro speciali mandato firmamus. Placet etiam Nobis... ut idem Summus Pontifex in Nos ex nunc excommunicationis et in omnes terras quas tenemus... interdicti sententias proferat... si forsan... non servaremus huiusmodi iuramentum etc. In cuius rei testimonium presentes licteras vobis et per vos Summo Pontifici et Ecclesie Romane concedimus roboratas aurea bulla typario nostre Maiestatis impressa.

Actum in castris in obsidione Motronis, presentibus Iohanne de Acciaco Decano Meldensi, Regni Sicilie Cancellario, Henrico domino Soliaci, B. de Baucio, eiusdem Regni Magistro Iustitiario, Gaufrido de Capella, Petro de Bellomonte, Iohanne de Sancto Claro et Iohanne de Clariaco, militibus, ac predicto R(oberto) de Baro, predicti Regni Prothonotario, testibus ad hoc vocatis et rogatis anno Dom. M.CC.LX.VIII, mense februario, die eiusdem mensis ultimo, ind., XI, R. n. a. III.